ORATIO HABITA IN DECLARATIONE MAGISTRORUM optimarum disciplinarum & artium,

A

IOACHIMO CAMERARIO PABEPERG.

IN QUA COPIOSA MENTIO fit dignitate & doctrina præstantissimi viri IOHANNIS HOMILII MATHEMATICI, superiore anno mortui, Epicediis Epitaphiisque aliquot diuersorum adiectis, Edita

LIPSIAE, IN OFFICINA VOEGELIANA.

ANNO
M. D. LXIII.

ORnatißimus vir dignitate & doctrinæ eruditione celebris, qui modo uice & loco Cancellarij huius Academiæ, munere suo est perfunctus, & nobis copiam fecit exequendi reliqua, permissa potestate. ijs adolescentibus, quos productos in medio omnium astare cernimus, vt publica renunciatione ipsos opt. disciplinarum atq; artium Magistros declarari, & hoc honoris titulo augeri liceret: Is igitur ea quæ huic actioni conuenire statuit, oratione enarrauit luculenta. Quæ cum mihi dicendo sequenda sit, venit mihi in mentem eius, quod nuper Clarißimus quidam vir vnus ex summis meis iocans ille quidem aiebat, fore vt a me in hac nostra curatione expectarentur & verba & uina bona. In quo vtroq; etsi vereor ne quam plurimos spes frustretur, Id tamen de verbis conabimur præstare, ne quem huius orationis nostræ auditorem fuisse pœniteat. De uino aūt nihil possum policeri, cum quidem hac etiam parte opera diligentiæ nostræ data sit. Sed iudicium totum aurium & palati futurum est. Quod ergo restat id quibusdam prius commemoratis, cum de studijs nostris, quorum veluti præmia dignitatis nunc persoluuntur meritis, tum de his ipsis, quibus hoc nomine laus & prædicatio debetur: ita totam rem quasi vltimo actu renunciationis & tribuendorum insignium concludam. Ista mihi more maiorum & dicendo & agendo absol-

uenti, Magnifici, Amplißimi, Clarißimi, humanißimi viri, & cæteri qui adestis, vt benigne & placide operam dare velitis, qua reuerentia, quoq; studio par est, oro. Atq; de studijs nostris, quæ & eruditæ doctrinæ & opt. disciplinarum atque artium, & humanitatis, & vno nomine Græco Philosophica appellantur, quæ disputari aut dici possent ac deberent, ea, vt Virgiliani versus verbis vtar, omnia sunt vulgata prius. Nam nihil omissum aut præteritum est, de harum dignitate & vtilitate vel necessaria etiam cultura ad omnem spem fructus in hominum vita, quin aliquot iam annis, vel ex hoc loco, verbose declamitatum sit. Ne querelæ quidem siluerunt grauißimæ atq; iustißimæ de tanti boni, cuius vbertas quædam in nostram ætatem effusa esset, supina negligentia aut contemtu quoq; animaduertendo. Quæ sane referri modo a me & rursum veluti inculcari non oportere existimo, ne quis illud mihi ad reprehendendum intorqueat, Crambe repetita. Etsi difficile est manus abstinere ab ea parte quæ dolet.

De dignitate quidem & splendore istorum studiorum solicitari & anxie laborare, cum, vt aiunt, conclamatum sit, desinere nos par fuerit: Salutem & in miseria atq; humilitate conseruari vt concedatur, Si postulemus obsecrando obtestandoq;, quis tam esse poterit immitis atq; durus, vt vel culpet

culpet uel non veniam certe dolori nostro dandam esse arbitretur? Aristoteles, quem autorem omnes docti semper inprimis secuti fuere, id esse ait in animo intelligentiam atq; mentem (ipse νοῦν appellat) quod oculi sint in corpore. Est igitur lumen animorum mens, quo extincto, obscurato, impedito, tanquam in tenebris consilia actionesq; humanas, vt in cæcitate captos oculis errare & allucinari necesse est. Quid autem idem Aristoteles de mentis efficacitate & vi disserit? Habent, inquit, manus ea quibus instructæ sua opera elaborent, habet & mens. De manuum instrumentis nunc quæri nihil attinet, Sed Mentis tanq̃ fundi quod instrumentum est? Cognitio, inquit Aristoteles, seu scientia, quam ipse ἐπιστήμην vocat, sine qua nulla demonstrari potest Mentis vtilitas. Vt etiam tibicini tibiæ, & fidicini fides, ad vtriusq; artis effectiones, soli vtiles sunt, & equi rei equestris perito, sic mentis vsus scientia & continetur & declaratur. Atq; idem autor, nam eum nunc potiss. commentari libet, si homo quæ res sit, interrogetur, censet aut nihil hunc aliud nisi Mentem, aut Mentem maxime, esse perhibendum. Quæ si vere affirmantur, quanto cum detrimento, ac potius pernicie generis humani non modo despiciantur sed negligentius colantur opt. artium disciplinarumq; studia, perspicuum est. Quin enim hæc scientiam

Encomium mentis

 cognitio-

cognitionemq; quasi procreent, & procreatam foueant, educent, alant, tueantur, propagent: Si quis negat, eum par fuerit aliud quod hoc efficiat atq; præstet demonstrare. Id cum repertum esse neminem certo sit certius, solis studijs bonarum artium, & veluti conseri mentem scientia et huius incrementa procurari, & percipi fructus, constare & esse probatum omnibus sanis debet. Iam, si hoc animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, vt ait Cicero, vel tantum vel maxime Mens est, Et hi sunt veluti oculi, quorum lumine si deficiatur, caligo vbiq; futura sit obscura atq; tetra, Neq; vsus tantæ & tam admirabilis facultatis conspicitur, extra cognitionem & scientiam, quæ excitatur & perficitur studij industriæq; diligentia ac opera, Sequitur nimirum, hoc diuinum donum doctrinæ inquam optim. disciplinarum atq; artium, maxima cum cura tuendum, neque vllam exercitationem potiorem hac ducendam esse. Nam sit absurdum, respuere aut parui facere præstantiam & quemadmodum veteres gloriose locuti fuere, diuinitatem generis sui, & eam vitam quæ secundum hanc degatur, & aliena atq; abhorrentia expetere ac consectari. Cum præsertim id quod cuiusq; rei naturæ maximæ proprium est & familiare, optimum illi rei iucundißimumq; & uideatur

deatur esse & sit re uera. His a nobis, quæ studiorum nostrorum bonitatem commendare non parum, vt opinor, poßint, firma mediocrium rationum conclusione expositis: Non fuerit fortasse ineptum aut indecorum, Quoniam quasi mercatus quidam istorum studiorum apud nos habetur, profiteri etiam atq; policeri, integras sincerasq; & præclaras veluti merces has proponi. Etsi enim laudatores suarum mercium putidi putantur, quod falso etiam multa commemorent, cupientes, vt ait poëta, venales extrudere merces: Recte tamen & vtiliter cum indicatur tum vera prædicatione ornatur, id quod ad alios a se quisq; ita peruenire vult, vt neq; is qui tradit vituperetur, neq; qui accipit opinione & spe sua fallatur. Quanquam profecto in talibus non tam vana quam superuacanea esse præconia solent, quod ipsa de se res loqui debeat, & quid offeratur atq; detur, statim suaq; sponte appareat. Nos autem non negamus & alibi veluti officinas sapientiæ reperiri locupletes, & patere ludos egregie instructos, cum tamen speremus, nostra instituta nostrosq; apparatus spernendos non esse, vel ordinis & cuiusdam directi itineris caussa, quod ingredi conficereq; oporteat tendentes ad cognitionis & scientiæ non speciem neq; opinionem, sed veritatem & cum hac coniunctam laudem, non inanem, sed solidam. At enim pauci or-

dinem hunc seruant, & exequuntur iter istud. Eo scilicet præclarior paucorum illorum est fortuna, quo rarior. Semper autem & vbiq; in terris superant numero deteriora. Non enim vulgaris & trita res est tam perspicere quid sit optimum atque rectißimum, quam demonstratum hoc amplecti & tenere. Rationem omnino & ordinem doctrinæ apud nos, nisi obtrectando & calumniando, reprehendere poterit nemo. De ijs vero qui publicæ doctrinæ præfecti sunt, verba me facere non decet hoc loco, ne nostri honoris & propriæ laudis præco sim, quod pudore prohibitos quondam in ludis gymnicis ipsos præcones faciendum non putasse accepimus. Nescio etiam quo pacto hæc laudatio quasi detrahere aliquid velle de existimatione aliorum videri posset, Et complecti veluti Stheneli Homericam ostentationem,

ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽
εἶναι.

Hoc tamen licebit sine inuidia, vt opinor, & semper & ad omnes affirmare, Et rationem ordinemq; constitutæ apud nos doctrinæ publicæ, bonum esse atq; præclarum, Et Magistros huius, quibus administratio illius est commissa, cur aliquis despiciat, caussam me non reperire: Sed de præsentibus ac uiuis siluisse fuerit melius. Vnius (qui superiore anno decedens ex hac vita communita-

munitatis nostræ existimationem nonnihil diminuit) meminisse non liceat fortasse tantum, sed deceat uel etiam oporteat. Etsi enim illud damnum ita est successione compensatum, vt in hac etiam parte nihil desideretur, neq; vlla post instaurationem labes appareat: Tamen nunc quoq; memoria Iohannis Homilij venerabilis est bonis & doctis vniuersis, neq; in eo genere studiorum, quæ ille potissimum profitendo coluit, excellentes quoque, non fuisse eum artium harum principem confitentur. Equidem meam, propter necessitudinem quæ inter nos fuit, gloriosam de illo prædicationem minus ponderis habere posse intelligo, sed cum & ipse optimarum artium disciplinarumq; cognitionem doctrinamq; profitear, & de his iudicium facere audeam, quia certe tam longo tempore, in studio illarum tota ætate consumta, proficere aliquid debui: Quid ego sentiam plane & libere dicturus sum. Non habuit profecto parem collega noster, & socius studiorum, Iohan. Homilius gregis sui quenquam vel acrimonia ingenij vel animi attentione, uel laborum industria, vel diligentia cogitandi, vel operum effectione. Quæ tamen, vt morte Protesilai ait Homerus non modo coniugem ipsius viduam, sed δόμον quoq; ἡμιτελῆ fuisse relictam, sic illo e medio sublato vna cum suis destitutis, imperfecta non pauca iacent, quædam absoluta requirunt benigni-

 tatem

tatem & curam eorum a quibus in lucem proferantur. Quo minus autem hæc doctrinæ pars comprehendens eas disciplinas, quæ proprie mathematicæ appellantur, quia his scientiæ & cognitionis eruditæ atq; liberalis vis omnis continetur: Ea igitur quo negligentius colitur, hoc magis ab intelligentibus & ijs, qui opem ferre & sustentare casum illorum possent, fulcienda atq; conseruanda erat. Sed (nostra enim querela non emendabitur peruersitas) hæc omittantur. Quia autem operum Homilij facta est mentio, non arbitratus sit aliquis, me de speciosis illis operibus Mechanices & Gnomices & Metrices, inq; primis Gærodætices artis tantum loqui, De solarijs inquam admirabili solertia & incredibili varietate descriptis, de conuersionibus orbium cælestium & cursibus siderum qui in cælo perficiuntur, imitatione artificiosissima simulatis atq; expreßis, vt quemadmodum de Sphæra Archimedis scripsit Cicero, cum Lunæ, Solis, quinq; errantium motus in sphæram illigasset, efficeret idem quod ille, qui in Timæo Platonis Mundum ædificauit Deus, ut tarditate & celeritate dißimillimos motus vna regeret conuersio. In quo tamen genere fabricationem Homilij maximus & non modo virtute præstantißimus, sed sapientia quoque excellentißimus Imperator Diuus Carolus Philippi F. Maximiliani Nepos, tanti fecit, vt &

opus

opus illius cunctis alijs quæ penes ipsum eo tempore essent innumerabilia, anteferret, & autorem maiestatis suæ præcipuo fauore complecteretur, & diu multumq; apud se versari vellet, partim vt operis rationem & vsum penitus ipso demonstrante perspiceret, partim vt de sua etiam sententia illud augeretur & exornaretur. De quo ex ipso audita oratione copiosa & præclara exponi possent. Quæ etsi ad laudem Homilij amplificandam pertinent, hoc tamen tempus & actio instituta exponi non patitur. Scimus in consilijs secretis, inter sermones quos haberet Imperator cum intimis suis, sæpe astitisse neq; dimissum esse Homilium. Scimus non modo aditum illi in conclaue Imperatoris, sed ad cubile etiam patuisse. Eamq; ob rem Philippus Melanchthon qui Homilium inprimis diligebat & faciebat plurimi, ioco familiari, Imperatorem Carolum discipulum ipsius appellabat. Non etiam ostentantur modo a me ad Homilium celebrandum, multiplicia atq; diuersa dimensionum, obseruationum, velutiq; metationum celi & terræ organa, quæ etiam noua quædam ab illo composita fuerunt, exquisitißima ratione, & cura singulari, quibus ingenio diuino præditum illustrißimum principem Electorem Augustum, Principem & patronum nostrum Clementißimum adeo delectatum comperimus, vt non modo honorifica esset existimatio

matio de Homilio ipſius, ſed vix alio magis quam hoc familiarius vteretur. Nam ſi addam, peperiſſe iſtarum rerum noticiam Homilio, non famam modo bonam, ſed emolumenta quoq;, ſimulq; dignitatis & facultatum incrementa addidiſſe, vulgaris admodum laudationis præconium hoc facturus ſim. Cum iſta quamuis vulgo prima habeantur, & fieri maximi ſoleant, non ſint propria virtutis & ſapientiæ præmia, quæ plerunq; maxima & cumulatiſſima contingunt indigniſſimis, vel meritis etiam ſæpenumero præripiuntur ab ijs, quibus illa nequaquam debentur, ſed qui vel illis Heſiodeis κηφήνεσσιν ἐοικότες, alienis laboribus parta commoda depaſcunt, vel qui eas operas dant, quibus ſibi non Reip. ſeruiunt, quaſq; non dediſſe, eſſet interdum melius. His igitur nominibus Homilium noſtrum non laudo, neque memoriam eius quaſi conſecrari poſſe dico. Quæ ſunt igitur alia ampliora & ſpecioſiora? Vtinam æterno Deo viſum fuiſſet, vt ab ipſo quædam horum perpolirentur, quædam iam abſoluta ederentur, non relinqueretur ſcilicet noſtræ prædicationi locus, ſed de ſe & pro ſe res ipſa loqueretur. Verum de alijs nihil modo dicam: Vnum certe eſt memorabile & admirationem pene ſuperans, & eiuſmodi vt neq; acumine mentis comprehendi, neque cogitationis ſagacitate euolui, neque diſſerendi ſubtilitate explicari, neq; manuum induſtria deſigna-

designari potuisse videatur, quo lucis vmbra, quæcunq; illa sit, & quomodocunq; hæc iaciatur ac cadat, geometricæ scientiæ veritate, cuius, vt scimus, argumentationes non suadent sed cogunt assentiri, demonstratur. Non me fugit mentionem istam neq; splendidam esse, neq; magnopere quorundam animos commouere posse. Sunt enim istæ res eiusmodi, vt non verborum copia commendari, sed suapte bonitate placere velint, neq; disputando sed vsurpando præclaræ esse videantur. Verum, vt spero, hoc opusculum, mole quidem paruum, sed precio ingens, aliquando in lucem proferetur, reperto harum artium non modo admiratore sed patrono quoq;. Tum igitur, secundum versum quendam veterem cuiuscunq; sane, non malum profecto neq; ineptum tam compositione quam sententia, futurum est, vt

Autorem commendet opus non garrula lingua.

Erat autem in promtu, de Homilij prudentia, humanitate, fide, rerum communium cura, & diligentia priuatarum, quam longißimam habere orationem. Non enim tantum summis viris, scientiæ eum copia, sed morum comitas & vitæ integritas, & modestia atq; pudor curiositatisq; fuga et circumspectio in omnibus rebus & actionibus, conciliauit & fecit vt non solum carus sed familiaris quoq; esset. Verum hæc attigisse satis sit. Nostris enim rebus & huic actioni opportunior

nior conuenientiorq; est doctrinæ & eruditionis gloria, quæ in Homilio fuit uera atq; solida, quamq; ille directo itinere procedendo consecutus est. Isto studij industriæq; pulcerrimo ædificio supra firmissimum fundamentum extructo, id quod in festinatione quadam perueniendi ad summum, vel inertia vel præpostera opinione a plerisq; negligitur, Vtriusq; linguæ Græcæ & Latinæ fuit sic peritus, vt mediocri facultate quicquid vellet describere hoc vel illo sermone sciret atq; posset. Asperserat Hebraicarum quoq; literarum non prorsus vulgarem cognitionem, sed hanc vsu non percoluit. Dialecticæ quidem vel scientiæ vel artis vel facultatis, quæ in ipso non vulgaris ac communis copiola, sed plane vbertas & diuitiæ, vt ita loquar, fuerint, cum ex alijs disputationibus eius, tum edita oratione intelligi facile potuit, quam de argumentationum conclusionibus, & harum caussis, & natura συλλογισμῶν, quæ sunt rationum in disserendo complexiones, aliquando ex hoc ille loco pronunciauit. Omnino quale sit ordine progredi discendo, & cursum certum in studijs tenere, nemo nouit nisi qui experiendo comperit. Et quoniam cum laboriosum tum inexploratum est, a quam plurimis non valde curatur. Neq; putet aliquis, tantummodo ad attingendam quasi metam earum artium in quarum humilitate, vt creditur, nostræ communitatis professio consistit, pro-

desse

desse & custodiam ordinis & in ascendendo graduum conseruationem. Etsi enim in hac tenuitate scholastica magis ista attentio conspicitur, Non tamen dubium est, quin ad omnem maximæ etiam dignitatis & excellentiæ splendorem, & in quocunq; genere perfectam bonitatem illa magnopere pertineat. Quo loco rursum tristiciæ caussa datur, recordatio dignitate & doctrina clarißimi viri, & eximij Medici Matthæi Heusleri, collegæ fratris loco mihi dilecti, cuius superioribus dieb. funus celebri conuentu est cohonestatum. Quem nemo nostrum ignorat, quo ardore animi in ea studia incubuerit, quæ bonarum artium & humanitatis nomen habent. Non ille quasi euolans ad salutaris artis hominum in terris vitæ profeßionem, super nominis dignitate & honoris titulo tanquam arbore auicula consedit, sed multis vigilijs & sudoribus longo difficiliq; & arduo itinere ad illam altitudinem nitendo peruenit, vt cum Medicinæ totius esset peritißimus, in vna tamen parte illius, quam a secandis corporibus animantum ἀνατομικὴν appellarunt, perpaucos similes, superiores nobis quidem notos in Germania nullos, habuisse videatur. Itaq; deceßione hinc ipsius damnum ingens fecisse Academiam nostram omnes docti ac boni intelligunt & cum dolore confitentur. Atq; hic quidem omnium est nostrum luctus proprius & peculiaris. Non possum

ſum autem me continere, quin redeunte verten-tis anni die, quo poſt ſuauiſſimæ conſuetudinis noſtræ vſum integer diſcedens Iohannes Stigelius, domi ſuæ poſt paucos dies mortem obijt, cum magno dolore & triſti deſiderio amiſsi talis amici, deplorem iſtud decus & firmamentum ereptum ſtudijs noſtris. Ille enim etſi externus, non tamen alienus fuit, ſed noſter, ac ſi quis alius. Sentio autem me & diei & actioni lætæ iamdudum mæſticiam admiſcere, ſed memoriam virtute, ſapientia & eruditione litterarum, optimarumq; diſciplinarum atq; artium ab ijs, qui ſe non leues neq; futiles perhiberi cupiunt, conſeruari æquum eſt, & eandem celebrari, ad incitandos animos adoleſcentiæ, vt & ipſi ad ſimilem laudem contendere velint, prodeſt. Itaq; vt Cato apud Ciceronem, non vereri ſe dicit, ne ſepulcra legens perdat memoriam: Sic nihil obſtare mihi oportere cenſui, quo minus mentionem honorificam facerem eorum, quorum meritis deberetur memoria a nobis grati animi ſempiterna. Neq; iniucundam aut moleſtam hanc vlli fuiſſe confido, cum quidem hinc ad eorum quibus dignitas Magiſtrorum artium bonarum decernenda eſt, ſerie quadam deducatur oratio. Nam & hos pariter decurrentes ſpacium liberalis ſtudij, ad veram gloriam aſpirando niti conſtat. Qui cum vniuerſi in eadem quaſi palæſtra verſati exercitatiq;, & ex eodem

ludo

tam genus et proavos, et quae non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco, sed enim quia rettulit Aiax
Esse Iovis pronepos, nostri quoque sanguinis autor

15

ludo prodeuntes, mercedem vigiliarum & sudorum petant, non concionabor de genere aut patria, aut fortunis vllius, quæ quibusq; similia, sapientißimus vir apud Poëtam censet uix nostra putanda, quia non fecimus ipsi. Hoc prædicabo, hoc commemorans laudabo, hanc propriam ipsorum celebrabo gloriam, Quod veritatem religiosæ pietatis amplexi sint, Quod eruditionem doctrinæ liberalis adamauerint, quod in studio illius ordine, rationeq; & via processerint, quod gradibus quibusdam ad existimationem bonam & nominis quendam splendorem ascenderint, non vagati sint animis neq; exiliendo fastigium hoc qualecunq; scholasticæ dignitatis arripuerint. Istam laudationem ipsis gratam, molestam nemini, huic loco congruentem maxime esse confido.

Iuppiter est, ... Ulysses apud Ovid. in 13 Metamorph.

Atq; ita deinceps cætera quæ requirit functio muneris mei peragam, & autoritate vocis publicæ, loco & vice communitatis studij bonarum artium in hac Academia, eos qui hac expectatione & spe huc producti sunt, ornabo pulcerrimo titulo dignitatis egregiæ, ut nominentur posthac & sint optimarum disciplinarum & artium Magistri, facta quidem copia, quemadmodum auditum est, concesßione maioris & legitimæ potestatis, ut fieri liceret. Accedetis igitur uos huc propius & in hunc altiorem vobis instructum locum ascendetis, vt executus ea quæ consuetudine scho-

lastica geri in tribuendis petiti honoris insignibus solent, ita iudicium communitatis de uobis nostræ, me renunciante declaretur.

Ac communicatur nunc adeo uobiscum hæc cathedra, locus editior, unde docentis oratio commodior & discentibus opportunior habeatur, vt iam cæteris huius ordinis & loci uos adiungi, & dignitate nominis cum his adæquari, & hanc excellentiam uobis tuendam esse sciatis.

Addo decus & ornamentum uiolaceæ purpuræ vetus gestamen ordinis istius. Attribuo & aureos annulos, qui etsi vulgo iam gestantur, tamen vestrum deinceps hoc ius est futurum.

Libros etiam optimorum sapientiæ & doctrinæ liberalis autorum uobis tradens committo, claussos illos quidem & uestra cura aperiendos & euoluendos assiduitate, ut inde cum uobis tum alijs utilia, & societati hominum salutaria præcepta proferantur.

Postremo, quod feliciter euenire velit æternus DEVS, *Pater Domini & Saluatoris vnici nostri* IESV CHRISTI, *qui filius est ipsius καὶ λόγος συναΐδιος, vna cum Spiritu sancto vnus, solus, verus Deus: Ego Ioachimus Camerarius Pabergensis, Decanus communitatis studij bonarum artium, autoritate illius mihi hoc tempore concessa, Te Andream Neandrum Loboujanum,*

Iohannem Schengium Hanensem,

Philip-

Philippum Seidlerum Glashutensem,
Petrum Cracouium Lucensem,
Adrianum Schroderum Reualiensem,
Simonem Sthenium Lomacensem,
Laurentium Landspergium Freipergensem,
Christophorum Rosam Schnepergensem,
Casparem VValtherum Annæpergensem,
Martinum Gasserum Plauensem,
Laurentium Mathesium Planensem,
Bartholomæum Gregorium Oschazensem,

Vos inquam vniuersos & singulos, Ego, opt. artium & disciplinarum, quæ est uno nomine Philosophia, Doctores facio, creo, & Magistros doctrinæ eruditæ ac liberalis esse deinceps iussos renuncio. Atq; tribuo vobis potestatem & ius, omnia munera scholasticarum functionum uestro loco exequendi, & peragendi quicquid huic conditioni & ordini conuenit, tam apud nos quam alibi. Quæ dignitas & potestas & huius iuris tituliq; proprietas, vobis, Quod Ecclesiæ Christi, Reipublicæ, Academiæ, & ordini vestro vobisq; singulatim faustum, felix fortunatumq; sit, à me decernitur & tribuitur, in nomine æterni Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

IOHANNI HOMILIO MEMMINGENSI OPT. ARTIUM DOCTRINA præstanti, Mathematicarumq; disciplinarum inprimis perito, qui Lipsiæ mortuus est, Prid. Id. Iulij, Anno Christi, M. D. LXII.

INferior Siculo qui non fuit arte Magistro,
Quoq; Tarentinum est nobile ciue solum,
Quæ celumq; suis spacijs metitur humumq;,
Astrorum tentans ars, pelagiq; uias:
Sub tumulo tegitur, perfunctus, Homilius, isto,
Vitæ quinq; annis & quatuor decies.
Tempore quam sane ille breui degendo peregit,
Sed longam uarijs sollicitudinibus.
Et iam post curasq; graues magnosq; labores,
Spes erat huic, parta posse quiete frui.
Et colere ingenuas, quas semper amauerat, artes:
Coniugio & lætus cœperat esse nouo,
Etsi læticiam mortis turbauerat istam
Vnius natæ funus & alterius,
Quem forti conans animo superare dolorem,
Doctrinæ totum se studijsq; dabat,
Ingenij & claros fœtus proferre parabat,
Et famam laudis multiplicare suæ:
Tabifico cum Parca malo decedere fessum
Iußit, & æterna deinde quiete frui.
Nec Caroli amplius eximio gaudere fauore,
Non Augusto operis complacuisse suis.

Nunc

Nunc luctum ille suis desideriumq; reliquit,
Et grauis est studijs facta ea plaga bonis.
Quid tamen vtilius tali contingeret ipsi
Tempore, credibile est, morte fuisse nihil.
Idq; Dei planum fecit sententia, morbum
Hoc desperatum cedere fine iubens:
Quo placidoq; pioq; in terris tempora vitæ
Christe tuum clausit numen opemq; uocans,
Impendi & sumtus popularibus atq; propinquis
Post mortem mandans suppeditando suis,
Ex sibi quæsitis, artes qui discere vellent,
Copia quarum homines non sinit esse rudes.
Nil longum est præfinitus cui terminus hæret,
Cūctaq; tūc bona sunt, clausula quādo bona est.

Ioachimus Camerarius
Pabeperg. Genero S. F.

TVMVLVS IOHANNIS
Homilij.

QVem Dux Augustus, quem Cæsar magnus amauit,
Eximium ingenio moribus atq; uirum:
Quo situs est vita perfunctus Homilius, illo
In tumulo tumulum docta Mathesis habet.

Georgius Fabricius
Chemnicensis F.

AD TVMVLVM CLARISS. ET præstantiß. viri Iohannis Homilij Memmingen-

 sis

ſis Mathematicarum diſciplinarum Profeſſoris in Acad. Lipſ. celeberr. Luctus Andreæ Ellingeri Medici.

SI lugere pium eſt, quoſcunq; in funera tandem
Demerſit ſubiti ſiue inclementia fati,
Seu ſæui lenta uis morbi tabe peremit,
Nondum vlla inſignes illos virtute vel arte:
Eſt lugere pium certe magis, atque decorum,
Præſtantes ſummosq; viros, ſapientia quorum
Et virtus pietasq; & honeſto in pectore candor,
Ingenij lumen, doctrinæ copia, uisq;,
Et morum integritas miro ſibi iunxit amore
Officioſa ſui memores fecitq; merendo
Patres & populum, Regesq; & ſubdita regna,
Illuſtresq; Heroas & alta in ſede Monarchas.
Talis cum fuerit præclarus Homilius, ille
Dilectus Ioachime tibi gener, omnibus ille
Et venerabilis & carus, quo tempore longo
Non maius meliusue habuit diuina Matheſis
Ingenium, ſapiente haud indignũ Hellade quondã
Doctaq; Italia florente. Opera ardua mentis
Quæq; labor manuum effecit celi æmula curſus
Aſtrorumq; vagis obeuntum motibus orbes
Et lingua monumenta huius perfecta in vtraq;,
Poſteritas, ueniensq; olim admirabitur ætas.
Quis, niſi cui ſcopulis mẽs durior omnis et expers
Humani eſt cultus, non afficiatur acerbo
Interitu & præmaturo excellentis Homilij?

Quem

Quem summis gratũ ordinib. summos ad honores
Splendor doctrinæ euexit, solertis & vsus
Ingenij. cuius longe diuinior ortus (plos,
Quã multorũ hominũ fuit. Vnde insignia & am-
Virtutis precium, titulos, illustre & adeptus
Cæsaris inuicti magno id tribuente fauore,
Nomen, cui rerum potienti primus adesse,
Et totum radio solitus describere mundum est.
Tandem Saxonici fausto pede principis aulam
Accessit, multumq; inclaruit, Electoris,
Regna per Augusti festa florentia pace,
Suauiter in cuius complexu hærere, nec unquam
A latere illius discedere, pulcra professus
Siue tua Euclides, tua seu Ptolemææ reperta.
Nec minus interea Philyreum propter Elistrum
Diuine hæc eadem pueros grandesq; docebat.
Quo magis extinctum Respublica mæret, eundem
Consilij comitemq; requirens ensifer Heros
Pectore vix celat magnum indignante dolorem.
At proceres vtriusq; scholæ, tam qua ruit ingens
Albis, quam parui qua flumen manat Elistri,
Squallentesq; greges & mæsta examina circum
Errantes videas decus & commune querentes
Amissum: Tumido assurgentes alueo & amnes
Mistas cum lacrimis undas vehere, omnia late
Et nemora & saltus vlulantum plena querelis
Nympharũ, & planctu ualles resonare recuruas.
Quin terrarum vbicunq; boni doctiq; morantur,

Idem vrit dolor afflictos. Hinc Rhenus & Ister
Dant gemitus, Ciuē ipsa suū Memminga reposcit,
Argentina sui ludi & deplorat alumnum.
Sed frustra. neq; enim: celi te regia ciuem (tes
Postq̄ habet, unde mare immensum terrasq; iacen
Despectans, molem exiguam miraris & vni
Vix pugno æqualem: fletus lamentaq; curas
Tristia, necquicquam toto quæ pectore fundunt
Et socer egregius nostro clarißimus æuo
Præceptor, summumq; decus Germanidos oræ,
Affinesq; boni, longe & mœstißima coniunx.
Quid tibi sæua tamē nisi uitæ incommoda ademit
Mors populata artus sicci squallore marasmi?
Tu nunc purpureo nectar bibis ore beatos
Inter celicolas, fortunatosq; piorum
Manes, Ambrosiæ diuina & uesceris aura.
Tu subter plantas labentia sidera cernis,
Subiectumq; infra celi premis arduus axem,
Stellarumq; obitus præsens specularis & ortus,
Iam rude donatus, radium gnomonaq; ponens,
Suspendensq; tholo semper candentis Olympi
Arma, quibus solers metiri hic cuncta solebas.
Quod reliquum est tibi nos, o præstantißime nostri
Euclides secli, quasi iusta hæc soluimus acri
Cum desiderio & luctu, mœstiq; precamur
Vt tua quæ gremio tellus complectitur ossa
Molles perpetuo uiolas suauesq; Amarantos
Producat, tua dum fruitur mens libera celo,

Mens

Mens pia, mens fidei in Christũ face celitus ardẽs,
Expectatq; diem, liquidi quo sideris instar
Emicet e gelida corpus tellure reuersum
Immortale, ipsiq; immortali societur,
Læticiaq; simul fruiturum & pace perenni:
Hic ubi in omnib: omnia erit Deus vnus, & idem
Trinus, habens circum sese agmina densa piorum
Clara in luce coruscantum, infinitaq; uultus
Diuini radios in sæcula contemplantum.
Aeternum salue illic, æternumq; ualeto,
Hic tua non vllis morietur gloria sæclis.

Ἰωάννῃ ὁμιλίῳ μαθηματικῷ τε καὶ ἀνδρὶ
ἐπιφανεστάτῳ.

παντοίαις ἀρετῆσιν ὁμίλιος ἔξοχος ἄλλων,
καὶ κλυτοῦ εἶν ἐσθλοῖς ἀνδράσιν οὔνομ᾽ ἔχων,
ἐνθάδ᾽ ἐτυμβεύθη ὁ γεωμετρίης κλυτοτέχνης,
σώματι μὲν φθαρτὸς, πνεύματι δ᾽ ἀθάνατος.
τῷ δὴ ἐπιχθονίους καταλείπων νυνί γ᾽ ὁμιλεῖ
οὐρανίοις καθαραῖς φρεσὶν ἀγαλλόμενος,
καὶ πρὶν ἐμέτρησεν μὲν ὅλης ὅδε μήκεα γαίης,
τήνδε νόμῳ καλάμου πάντοθ᾽ ἐπερχόμενος,
τεχνογράφῳ τε χερὶ σκιόεντα πρὸς ἄξονα κόσ-
ἥρμοσε παντοδαποὺς ἠελίοιο δρόμους. (μου
νυνὶ δέ τ᾽ εἰσορόων γυρώματα ποικίλα κύκλων
καὶ τῶν ἐπὶ ἐποχὰς μηκέτι σωζομένας

γινώσκει τί σαφῶς χειμαζόμενον πέλετ' ἄστρον
λιμῷ ἐπ' ἢ λοιμοῦ ἢ πολέμοιο τέρας.
ὧν ἔτι θνήθ' ἡμεῖς πέρι τῇδε ματαιολογοῦμεν
σκεπτόμενοι τηλοῦ πουλυπλόκους ἕλικας.
ὅσσα τε γὰρ δυνάμεσθα, μαθεῖν σπουδάζομεν,
ἀγνοίης ζοφερὴ προσθεπιθεῖ νεφέλη. (ἠδέ
ἀλλὰ σὺ χαῖρε καὶ αἰθέρ' ὁμίλιέ μ' αὖθι καὶ αὖ-
ἠδὲ θεοτροφέος πιμπλάθι ἀμβροσίης. (θι,
ἀπὸ Βαλεντινοῦ θαοῦ
τοῦ διαδόχου.

DE OBITV IOHANNIS HOMI-lij optimi viri & Mathematici, patroni bene meriti.

Conditur exigua vir magnus Homilius vrna,
Tam dignus vita, quam Nero morte fuit.
Corpus terra tenet, famam durabile pignus
Vix locus, aut mundi machina tota capit.
Flebile circunstat lugubri veste sepulcrum
Virtus, & posita tristis Apollo lyra.
Hunc siccis tumulum durus qui transit ocellis,
Aut nescit Musas, aut sine mente furit:
Nam iacet, abstrusas excellens ille per artes
Euclides nostri temporis, ante diem:
Qui radio numerisq; poli describere motus,
Amplaq; metiri climata, doctus erat.

Quo

Quo non candidior quisquam, nec amantior æqui,
In cuius nec fraus corde, nec ore dolus.
O probitas & prisca fides, Cur in bona nostra
Intempestiue Parca maligna ruit?
Delicias hominum sublato sustulit illo,
Quem dolet obscura mæstus Elister aqua.
Ipse quidem vitæ potuit satur esse, quod omnem
Naturæ sciret totius historiam:
Nam postquam terras, atq; aëra nosset & vndas,
Sidera viuenti nec satis alta forent:
Restat, ait, puris oculis Deus ipse videndus,
Hanc ego discipulus lætor adire Scholam.
Christus in hac sedet interpres, quo plena magistro
Spirituum gaudet sanctaq; turba patrum.
Nec desiderium te docte fefellit Homili,
Aspectu frueris nunc propiore Dei.
Quæq; pijs oculis procul ante remota notasti,
Vltima ceu scamnum nunc premis astra tuũ.
Despicis errantes immania corpora stellas,
Mista per angelicos vmbra beata choros.
Huc te subuexit, quæ clausum expugnat Olympũ,
Tuta fide pietas, & pietate fides.

Iacobus Strasburgus. F.

TEMPVS MORTIS IOHANNIS
Homilij ænigmate designatum,
1 5 6 2.

ARbiter armorum quot lucibus ensifer Heros
Orbis it obliqui clara per astra rotis,

Signis

Signis terrestris quot uis est insita celi,
Sidera lætantur quot uaga nocte Deûm,
Sensus quot cerebri surgunt per nubila, mentis
Aura uelut famulos quos animalis agit,
Abdita sub medio recubant quot uiscera uentre,
Nota quot humani corporis ossa ferunt.
Ventriculo cordis læuo quot uasa cohærent,
Viuas quæ flammas corpus in omne vehunt,
Neruorum dorsi quot sunt connubia spinæ,
Percita membra quibus uis animalis agit,
Omnigenis præbens vitalem partibus auram,
Semita quot tunicas spirituosa tenet.
Prima quot in Physicis, priuata ligamina sensu
Quot domus omnigeni sanguinis epar habet.
Constitit antidoton mistum quod nobile rebus,
Extat ab ingenio quod Mithridate tuo,
Quot super obliqua terram sunt sidera zonæ,
Celi natura signa quot æquat hyems,
Annua quot Phœbi sestertia in arte peritis
Terrarum princeps vrbs Tyberina dedit.
Custodes quot sunt Atlantides arboris auri,
Tradunt quot iecoris viscus habere lobos,
Oceani quot sunt neptes, quas fratris Hyantis
Perpetuus fecit sidera clara dolor,
Inter quot Diuas pulcræ victricia formæ
Præmia, de spumis æquoris orta tulit,
Germanæ quot luxerunt Phaëthonta iacentem,
Audax dum currus non bene patris agit.

Quot

Quot Sophiæ partes, quot Punica bella, quot ouis
Cum paribus geminis Tyndaris orta fuit,
Nymphas quot finxit quondam Iouis eſſe maritæ
Candida laurigeras turba ſecuta Deas,
Gentis Idumeæ ductor quot ab ilice Reges
Suſpendit, pauidi qui ſubiere ſpecum.
Post quot luciferos iuſſit ceſſare quiete
Perfecto artifices conditor orbe manus,
Idomeneus quot Curetum deduxit ab oris
Naues Dardanij mœnia ad alta ſenis,
Pergama quot circum uicibus Thebana cruentum
Hectora Theſſalico uidit ab axe trahi,
Natali à pueri, ſacri quem Flaminis umbra
Tecta dedit caſto pectore uirgo parens.
Annis tot curſum tenuit per ſidera mundi,
Omnia qui flammis luſtrat obitq; ſuis,
Menſis & æſtiuos feruens quater ædidit ortus
Qui uetus à primo Cæſare nomen habet.
Ceſſit ab humanis ubi clarus Homilius arte,
Quæ uaga cum pulcris motibus aſtra docet.

I. à Pinu.

EPITAPHIVM DOCTISSIMI Viri & celeberrimi Mathematici Iohannis Homilij, patroni ſtudioſorum.

LVgete ô Charites, nouemq; Muſæ,
Lugete ô pueri, ſenesq; cuncti,
Lugete ô iuuenes bonas colentes
Artes, turba ſacris dicata Muſis.

Vitam

Vitam doctus Homilius reliquit
Nuper, firma scholæ columna nostræ,
Quam, dum sustinuit, iuuare nullo
Cessauit studio, labore nullo.
Namq; accitus ubi ille uenit ad nos
Te Dux Saxoniæ vocante gentis,
Est Mathematicas professus artes,
Summa qua potuit fidelitate,
Longo tempore diligentiaque,
Musarum cupidam instruens iuuentam.
Hoc ipso, studijs suis, docente,
Magna commoda plurimi tulere.
Huius melle fluebat ore docto
Dulcis sermo magis, scientiarum,
Quas Mathemata dicimus, magistrum
Conspexit schola nostra vix priorem
Vix visura etiam illa clariorem.
Euclides per eum, Proclusq; viuunt,
Et nomen Ptolemaicum celebre est,
Hic Elister agros vbi pererrat,
Musarumq; bonæ coluntur artes.
Multis consilium dedit fidele,
Promouit iuuenes & ipse multos,
Vt tempus studijs darent honestis.
Esset quam bonus, integer, benignus,
Iucundus, facilis, pius, suauis,
Obscuriq; sciunt, sciuntq; clari,
Ergo omnes merito dolent ademtum.

Princeps

Princeps Saxonidos, paterq; terræ
Hunc Augustus amore prosecutus
Viuentem eximio, dolens requirit,
Et desiderat vtiles labores
Solertesq; manus Homilianas.
Hunc, si Carole Quinte iam superstes
Esses, tu quoq;, vt arbitror, doleres
Tam rarum artificem perisse, quem tu
Ornasses titulis nouis honorum,
Cuiusq; ingenium bonosq; mores,
Et dotes animi ipse comprobasses.
Hunc, lugent comitesq; principesq;
Commendat quibus ipse Cæsar istum,
Nobiscumq; necem queruntur illam.
Sed quo morte magis dolemus huius,
Hoc gaudet magis ille, liberatus
Quod morbisq; malisq;, iam perennis
Ducat tempora gratiora vitæ,
Et quod læticia fruatur ista,
Quam Christus peperit suo cruore.
Illic aspicit omne, nouit omnem,
Hic quam non fuit assecutus artem,
Quamuis optimus autor. vt nihil res
Humanæ vndiq; continent beatum.
Tum quæ cum Camerario celebri
Dilecto socero, virisq; doctis,
De rectis studijs loqui solebat:
Hæc cum cœlicolis solet cateruis

Et

Et quantum est hominum beatiorum,
Nunc conferre polo receptus alto
Felix ter quater & beatus ipse.
Illic quem didicit Deum per omnem
Vitam, quem coluit fideq; firma,
Cuius dogma sacrum fuit professus,
Cui se tradidit omnibusq; votis,
Hanc cum sanus adhuc diem videret,
Mortis cumq; suæ veniret hora:
Huic coniunctus agit perenne tempus,
Hunc laudatq; sacrosq; cantat hymnos,
Dignas pro meritis Deoq; grates
Persoluit, sine fine, saluus omni.
Tanto Gymnasium viro carere
Hoc nunc incipit, in salute cuius,
Partem non minimam suæ locauit.
Aspectu caret, at memor recordans
Artes quisquis amat bonas, eundem
Præsentem quoq; nunc adesse sentit,
Nam durant monumenta docta, morsu
Nec delere valet suo vetustas.
Doctis fama locis manet sepulti,
Et sic perpetuis manebit annis.
Hæc dant Pierides patrone nostræ,
Primus quas opera tua iuuabas,
Hanc postquam petiere ciuitatem,
Sæpe quæ superesse te precantur,
Vt ipsas etiam iuues deinceps.

Sed frustra faciunt precationes,
Nam non inde datur tibi redire,
Quin nec tu cupis ipse nunc redire.
Quare iam memores boni, profectum
A te quod fuit, hos ferunt minutos
Defuncto Hendecasyllabos patrono,
Cui sese cupiunt probare gratas
Soluunt vltima iusta dum sepulto.
Quod si quid superest piæ Camœnæ
Figunt vota tuo sacra hæc sepulcro.
Erepte ô studijs patrone nostris,
Cuius condita membra in hoc suaui
Et grato quasi lectulo teguntur:
CHRISTO molliter in tuo quiesce,
Atq; hinc, dante DEO, resurge lætus,
Celestis tuba quando te vocabit
Summi ad gaudia poßidenda celi.

DISTICHON QVO TEMPVS AEtatis, annus, mensis, & dies mortis continetur.

LVstra oCto aC bInos bIs natVs HoMILIVs annos
HIC obIIt IVLII LVX VbI qVarta fVIt.

DISTICHON QVO LOCVS ORtus & obitus notatur.

Quem dedit insignis puerũ Memminga tenellum,
Abstulit hunc clarum Lipsia clara virum.

Caspar Vualter Annæberg. F.

EPITAPHIUM DOCTRINA ATQUE AUTORITATE ORNATISSIMI VIRI IOHANNIS Homilij, professoris Mathematum, aliarumque artium in celebri Academia Lipsensi clarißimi.

NUnc ego, qui studio terram dimensus & astra,
Ingenuas colui modo viuus Homilius artes.
Mortuus hic iaceo, doctrina illustris, & alto
Donatus titulo, quantum mihi fata dederunt,
Tantum alijs, & plus rapuerũt, quando peremtus
Morte, graues operas liqui, doctosq; labores.
Non modo Lipsensis me Phœbus, cuius honores
Arduus excolui, fleuit, non tristia solus
Damna socer doluit Camerarius, inclita luxit
Arx etiam Augusti Ducis, et mea patria Rhenus.
At ego de terris, ad celos mente receptus,
Sidera sub pedibus circum radiantia volui,
Arcanasq; vices miror, penitusq; repostam
Caussarum seriem, iunctis procedere fatis
Ante Dei solium video, Christoq; dicatus
Viuo equidem, vitamq; poli per gaudia duco.

Philippus Heroldus. F.

EPICEDION DE OBITU CLArissimi & doctißimi viri, Iohannis Homilij Memmingensis, optime de Academia Lipsensi publica Mathematum professione meriti.

VRanie tumulo mœstas impende querelas,
Officio pietas conuenit illa tuo.
Namq; iacet, quo non perfectius alter Olympi
Nouerat arcanas significare vices.
Occubuit, magnæ qui mensus climata terræ,
Euclides nostri temporis alter erat.
Qui celeres varijs inscribere molibus horas
Instituit, fato præueniente iacet.
Nec tantum ingenuis insignis ab artibus, egit,
Quos Deus & vitæ meta dedere, dies.
Sed veluti pleno cum Cynthia voluitur orbe,
Collecta stellas luce superba premit:
Sic alios celebri virtutum nomine vicit,
Parq; fuit summis prorsus honore viris.
Illum etenim iuuenes pariter coluere senesq;,
Et dignus vulgi visus amore fuit.
Quid populum loquor? armipotens quoq; Cæsar in illum
Contulit æternæ nobilitatis opes.
Inde Palatini Comitis donatus honore,
Externo pariter clarus in orbe fuit.
Principis accessit fauor & clementia nostri,
Qui sibi præreptum tristis & ipse dolet.
Nam decus imperio, nostrisq; perutilis oris,
Incolumis vita dum frueretur, erat.
Hinc socer indutus pullata veste, dolorem
Testatur, generi tristia fata querens.
Eheu iuste senex, nostri vnica gloria sæcli,
His quoq; tu curis sollicitandus eras?

Te certe melior rerum fortuna decebat,
Optime Pierij dux Ioachime chori.
Sed nihil immites crudelia numina Parcas,
Vltima cum vitæ labitur hora, mouet.
Quippe pari letum, sub se trahit omnia iure,
Fataq; præscripto stant adeunda die.
Sola rogum virtus penetrat, flammisq; probata
Post mortem æternum spargit in orbe iubar.
Inprimis damni his nihil imminet atq; pericli,
Sunt quorum Christi pectora fulta fide.
Per mala cuncta fides graditur, mala vincit eũdo,
Et duce cõsequitur digna trophæa suo.
Talis ad ætherias concessit Homilius oras,
Iam vultu lætus colloquioq; DEI.
Hic requiem inuênit multi finemq; laboris,
Hic valet æternis vsus vbiq; bonis.
Interea, solitis dum tempora legibus ibunt,
Dum nomen seræ posteritatis erit:
Semper honos, nomenq; viri, laudesq; manebunt,
Et partum vera dexteritate decus.

EPITAPHION EIVSDEM.

Membra sub hac tumuli composta reliquit arena,
Qui celum nostro tempore fulsit Atlas,
Nomen Iohannis, cognomen Homilij adeptus,
Quam bonus ingenio, tam pietate grauis.
Nunc, satis eximio dotatus Caroli honore,
Et Ducis Augusti dignus amore, iacet.

Spiritus

Spiritus ast celum, quod fortiter ille gerebat,
Incolit, hoc precium pro pietate tulit.

Iohannes Vogelius Dresdensis. F.

IN OBITVM DOCTISS. VIRI D. IOHANNIS HOMILII BONARVM artium Magistri & Mathematici celeberrimi, Epicedion.

FVnebres indutæ habitus lugete Camœnæ,
Eheu iam veri caussa doloris adest.
Tundite plangentes mœrentia pectora pugnis,
Dilaniate comas, dilacerate genas.
Bis binos & viginti bis Homilius annos
Natus, heri durum mortis obiuit iter.
Ille quidem fessus morbis, animo tulit æquo
Disrumpi vitæ stamina nigra suæ.
Sed duro illius labefacta Mathemata casu
Frigent, & nostræ est facta ruina scholæ.
Gymnasium claro priuatum est lumine nostrum,
Incertum huic poßit quem reperire parem.
Ille & præclari tituli nomenq; decusq;,
Ob dotes animi, Cæsare dante, tulit.
Illum pacis amans noster dux vnice amauit,
Et lateri voluit semper adesse suo,
Vt coram admirans opera ingeniosa videret,
Sed precibus motus siuit abire domum.
Quæ prius hoc Memminga viro gaudere solebas,
Nunc illo amisso terra paterna dole.

Sat fortunatus consanguinitate propinquis,
Et satis in terris auctus honore fuit.
Tum felix socerum Camerari te quod habebat,
Cuius terrarum nomen in orbe sonat.
Coniugio hac in parte minus feliciter vsus,
Quod natas rapuit mors properata nimis.
Ast nimium contra faustus, nimiumq; beatus,
Quod vera agnouit relligione Deum.
Quem solida semper coluit pietate fideq;,
Verbum eius ponens mentis in æde suæ.
Et saluatorem suprema voce vocauit
Christum, oculos donec clauderet alta quies.
Altera pars melior viuit, celoq; recepta est,
Frigentis corpus iam sepelire parant,
Corpus humo tegitur, nomen laudesq; manebunt,
Et tanti ingenij fama superstes erit.
Celum & dum stellas, dum pisces pontus habebit,
Extabunt tanti tot monumenta viri.
Scribere plura vetant lacrimæ, gemitusq; dolorq;,
Hisq; alij forsan mox meliora dabunt.

Abrahamus Cæsius Flaminius. F. Id. Iulij.

ODE IN OBITVM OPTIMI ET *clarißimi viri Iohannis Homilij, liberalium artium Mathematumq; Magistri, & professoris.*

HEu quis tristiciæ modus,
Quis desiderio terminus, aut pudor?

Lamen-

Lamentabilis occidit
Fidus Pieridum cultor Homilius.
Tam caro capiti & pio,
Tristes Vranie dic age nænias,
Et tam nobilis ingeni
Tecum tolle polos nomen in arduos.
Quod longo hunc minus obsitum
Aeuo mors tulerit, Parca nec, æmula
Magnis sæpe viris, manu
Festinante minus stamina ruperit:
Tantam tardius inclita
Iacturam, ætherijs artibus additam
Mærens Lipsia prosequi
Cessabit lacrimis funere debitis.
En cœtus simul, vt patrum
Luget nobilium turbaq; ciuium?
Vt grex Aonidum sacer,
Pubes cum pueris integra paruulis
Carmen lugubre præcinit,
Implens flebilibus sidera questibus?
Hæc lamenta quis arguet?
Non durus penitus sensu Adamantino.
Finem quis statuet viro
Tali promeritas fundere lacrimas?
Cui sincera fides, cui
Comis simplicitas, pulcraq; castitas,
Nec non candor amabilis
Aeuo hoc quem similem quem reperit parem?

Non dotes animi incliti,
Non artes, tenui condere carmine
Conabor tenuis, quibus
Arces contigerit poli,
Stellasq; altaq; sidera,
Semper fixa sua in sede morantia
Aut errantia tramite
Certo, perpetuis non sine legibus.
Est testis locuples satis
Erga illum egregij gratia Cæsaris,
Cui lectus fuerat comes,
Romaniq; decus grande Palatij,
Sunt testes opera illius,
Sunt ingens specimen, sunt monumentaq;
Quæ paßim celeberrimi
Iactant artifices, lampade Cynthius
Qua vel purpureum diem
Profert, vel pelago condit Iberico.
Sis felix ter & amplius,
Salueq;, ô celebris laus Academiæ,
O damnum irreparabile,
Donec sol vicibus tempora diuidet.
Tu nunc astrigeros globos
Perlustrans alio lumine dispicis,
Quicquid nostra acies vetat
Mortali penitus cernere lumine.
Tu sedes superûm incolis,
Et calcas pedibus sidera fulgidis

Iam

Iam nunc desine lugubres
Cantus Vranie, scande Heliconios
Saltus, aut liquidum æthera,
Perferq; hæc reliquis mœsta sororibus.

DISTICHON DESIGNANS
annum obitus.

QVI totIes CeLI sVspeXIt HoMILIVs orbes
FLeXIVagI feLIX InCOLIt astra poLI.

VVolfgangus Plancus ex schola Grimmensi. F.

IN OBITVM CLARISSIMI VIRI
M. Iohannis Homilij professoris Mathematum in Academia Lipsensi.

HIc qui morte iacet sublatus Homilius, eius
Inclita virtutis fama perennis erit.
Mors membris factus somnus, requiesq; sepulcrũ:
Lætior at viuit spiritus ante Deum.
Gaudet ibi felix, quod vicerit inuida fata:
Fata nimis doctis insidiosa viris:
Flent tamen illius mœstißima funera Musæ,
Fletq; vicem nostræ turba sacrata scholæ.
Eximium perijt nostri decus ordinis, heu heu
Vix habet huic vllum Theutonis ora parem.
Primus erat pietatis amor, quam pectore toto
Ad summum coluit sedulus vsq; diem.

Acceßit varijs prudentia cognita rebus,
Et mens consilio plena, fideq; fuit.
Calluit egregie linguas, pectusq; per artes
Excoluit doctas erudiendo suum.
Candor apud nostros res intermortua pene est:
Attamen hoc vere præditus ipse fuit.
Multarum caussas rerum est scrutatus, & illas
Protulit ingenij dexteritate sui.
Errantem norat lunam, solisq; labores
Stellarumq; vias iuraq; summa poli.
His fuit ornatus donis vir maximus, vnde
Non meritorum etiam præmia nulla tulit.
Carolus hunc Cæsar summo dignatus honore est,
Augustiq; Ducis dignus amore fuit.
Sed satis. O Musæ tristes deponite luctus,
Sat pietas lacrimis officiosa dedit.
In se terra tenet quod erat tellure creatum,
Et quod de celo est, hoc tenet ipse polus.
Sidera cernit vbi volui pariterq; reuolui,
Cui fuit ad superas scandere cura domos.
Tolluntur iusti, ne tristia tempora cernant,
Sed tamen hoc curat turba profana nihil.

Iohannes Gößingus Annæbergensis. F.

IN OBITVM OPTIMI ATQVE doctissimi viri Iohannis Homilij Mathematici insignis.

Vsque

VSque adeon' cito decurrit mortalibus æuum,
Inijcit & cunctis mors truculenta manus?
Scilicet hoc meruit primorum culpa parentum,
Propter et hæc hominum crimina, pœna manet.
Vita breuis nostra est, certa mors aduenit hora,
Ad subitum illius se paret omnis iter.
Hæc nulli parcit quamuis se muniat armis,
Et longæ numeret nobilitatis auos.
Non vllum vires, facies non liberat vllum,
Congestæ nullum diuitiæq; iuuant.
Illa potest æquis pedibus pulsare tabernam
Pauperis, atq; altæ regia tecta domus.
Hac & Homilius est celeri nimis ille peremtus,
Qui fuit Aonij gloria magna chori.
Phœbe lyra posita plange, & vos plangite Musæ,
Quisquis ades mecum fœmina virq; dole.
Ille erat insignis spectatis moribus, illi
Virtus & pietas nomina magna dedit,
Ille Mathematicas artes complexus amore est,
Ingenio & superas attigit ille domos.
Propterea à cunctis fuit haud indignus amari,
Fulsit & insignes inter honore viros.
Principibus placuit, Regum quoq; clarus in aula,
Hunc suus ex merito nobilitauit honor.
Hunc & Saxoniæ princeps est inclitus heros
Complexus magno semper amore virum.
Illius occasu merito ergo Academia mœsta,
Et Musæ multis fletibus ora rigant:

At tibi clare ſenex, decus admirabile noſtri
Sæcli, alijs multo triſtior eſt obitus.
Nam gener ipſe tibi carus, tibi gratus amicus,
Aegræ ſolamen mentis & ille fuit,
Sed fuit æterni hæc dominiq; Deiq; voluntas,
In cuius noſtra eſt vitaq; morsq; manu.
Tu viuas vtinam longæuus Neſtoris annos,
Tu maneas ſtudijs litteruliſq; diu.
Aeternæ ille videt veriſsima gaudia vitæ,
Illius viuit ſpiritus ante Deum.
Cui tota in vita credens quicunq; ſalutem
Commiſit, fidei præmia digna capit.

Sebaſtianus Leonhard.
Dreſdenſis. F.

DE OBITV DOCTISSIMI VIRI
Iohannis Homilij.

NVnc quoq; celeſtes qui aſcendit Homilius ar-
Vtilis huic vitæ, ſi licuiſſet, erat. (ces,
Nam varias rerum cauſſas & ſemina norat,
Ingenio inquirens plurima digna ſuo.
Luſtrabatq; alto labentia ſidera celo,
Vnde ſuas vires inferiora trahunt.
Idem etiam norat radio deſcribere mundum,
Quæq; ſub illo aut hoc ſidere terra iacet.
Ille ſuo Aonidum fido arua labore colebat,
Quos potuit cupide cunq; docendo iuuans.
Ille & Principibus ſtudium moreſq; probabat,
Principibus laus eſt magna placere viris:

Vir-

Virtutemq; sacro pietatis amore colebat,
Aeternum fugiens fallere fraude Deum.
Ac soli toto fidebat pectore Christo,
A quo vera animis paxq; salusq; venit.
Ergo etiam tumulo feliciter ossa quiescunt,
At mens æternæ munera lucis habet.

EPITAPHIVM.

Hic iacet, ætherijs bene notus Homilius astris,
At viuit sanctos spiritus inter auos.

Georgius Iost. Nosenus. F.

IN OBITVM DOCTRINAE ERVditione, & virtute præstantis viri Iohannis Homilij, Opt. artium Magistri & Mathematum professoris celeberrimi, in Academia Lipsica.

NOx erat & clauso capiebam lumine somnũ,
Omnia cum placida fessa quiete iacent.
Tunc ego fœmineas visus sum audire querelas,
Aspiciensq; gregem ter numerare trium,
Quarum verba diu gemitus cum rumperet: Vna
Tandem ex his plena talia voce refert:
Vranie dic cara soror tantæ vnde querelæ?
Labitur ex oculis, cur ita gutta tuis?
Illa ad quæ contra placido sic ore locuta est,
Vocem singultu præripiente sibi.
Quid quæris caussam tanti, dilecta, doloris?
Caussa huius nobis inuida Parca fuit.

Quam

Quam nostris esse infensam scis semper alumnis,
Conari & nostrum perdere fraude chorum.
Dum male connectit multis fatalia fila,
Et facit ex doctis funera crebra uiris.
Si quicquam lacrimæ, si quid pia vota valerent
Multorum, certe talia non faceret.
Ferrea sed gerit hæc durum sub pectore saxum,
Nec quicq̃ hanc fletus, nec pia verba mouent.
Sic fatur gemitus imo de pectore ducens,
Tristis & ex somno suscitor ipse graui.
Eheu, quarta dies postq̃ sed mensis Iuli
Venit, & octauum signa dedere sonum,
Obuia mæsta mihi mulier fit talia dicens:
Lux hodie affinem sustulit ista tuum.
Ah narres meliora. An sunt mea somnia vera,
Tuq; iaces Clarij gloria summa chori?
Et præcesisti nobis, ad limina celi,
Finijt & vitam terminus iste tuam?
Care vale affinis. Nunc te tua fata tulere,
Mox alium quemuis & sua deinde manent.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Hoc tegitur tumulo immatura morte peremtus,
Qui fuit ingenio maximus, arte grauis,
Aethere sparsa alto scrutatus Homilius astra,
Mensus humumq; & quo cingitur illa, mare.
Spiritus ætherias penetrauit liber ad arces,
Fama sed immenso viuit in orbe viri.

Ludouicus Camerarius affini
benemerito, F.

IOHANNI HOMILIO MATHEmatico & viro opt. atq; doctiss.

AStra quibus motus toto fulgentia celo
Legibus absoluant nocte dieq; suos.
Quas faciat radijs obstans solaribus umbras,
In quamcunq; cadant, terra rotunda, plagam.
Quisq; sit erecti gnomonis & indicis usus,
Phœbus ubi nitido lumine complet humum.
Quicquid opus magnum Ptolemæi, vel Megarensis
Euclidis, quicquid tota mathesis habet.
Haud ullus prisci vel nostri temporis æuo
Tam potuit doctis explicuisse modis.
Quam Latio Graioq; disertus Homilius ore
Tradidit hæc claris principibusq; viris.
Illustris tituli clemens affecit honore
Hunc inuicte tuus Calole Quinte fauor.
Ipse etiam patriæ Pater & fortissimus heros
Saxonicæ Augustus Duxq; decusq; domus,
Hunc à se voluit studijs & honoribus auctum
Consilij proceres inter habere locum.
Huius Anhaltinus Princeps Ioachimus amorem
Testatus misso munere sæpe fuit,
Quin alijq; Duces ipsum coluere, viriq;
Quos celebres Claria fecit in arte labor.
Prætulit hunc multis insigni laude Melanchthon
Unicus Aonij duxq; paterq; chori.
Quam Ioachime gemis generum præceptor adem- (tum
Atq; loco patris noster amate socer.

Donec

Donec erunt artes, solidæ quæ climata terræ
Lucida quæq; poli noscere signa docent.
Heroës, doctiq; viri, studijsq; iuuentus
Dedita eum memori semper in ore ferent,
Ipsius eximium tollent ad sidera nomen
Pierio suaues ex Helicone Deæ.
Scilicet ingenuus candor, doctrinaq; præstans
Ipsius & virtus præmia tanta tulit.
At quæ scrutari radioq; notare solebat
Nunc vaga sub pedibus conspicit astra suis.
Hic vbi non horas numerat, metitur & vmbras,
Quas æther nullas lumine plenus habet.
Sed pius in Christo, tota quem mente colebat,
Libera perpetuæ gaudia lucis agit.

Affini S. cariss. Caspar Iunger-
man Cerbest. F.

F I N I S.